

CORPUS THOMISTICUM
Willelmi Sudbery
Tabula super libros Sancti Thomae
a prooemio ad vocem abbas



Textum a Th. Käppeli Tubingae 1934 editum
recognovit Enrique Alarcón et instruxit

Codex manuscriptus:

- London, British Museum Library, Royal 9.F.IV ff. 1r-3r

Editio:

- Th. KÄPPELI, **Die *Tabula* des Wilhelm Sudbery O.S.B. zu den Werken des hl. Thomas von Aquin.** «Theologisches Quartalschrift» (1934) 62-82, spec. 75-82.



Prooemium

Universis sacre religionis ordinis fratrum predicatorum professoribus frater Willelmus Sudbery, sacre theologie bachallarius ordinis sancti benedicti et Westmonasterii monachus, mutuo in sacra religione proficere, fructum studii salutaris acquirere et oracionum suffragia pro labore.

Ut quorundam vestrum satis novit fraternitas, anno domini 1382 in universitate Oxoniensi opponentis in theologia laborem suscep̄eram, in quo complete per anni circulum cum dominis meis et magistris secularibus, cum possessionatis regularibus et cum patribus reverendis quatuor ordinum mendicantium scolas exercui secundum morem, prout deus mihi dederat vigorem et sensum, cum responsali contuli laboribus, vigiliis, timore, tremore quasi infinicies fatigatus. Et, ut plus dicam, pluries et quasi continue attritus laboribus, confusus ruboribus, penitus defecissem, si non assidencium consolacio affuisset et venerabilis auditorii supportatio imbecillitatem mee insufficiencie benignissime tolerasset. De tot et tantis dispendiis in tali labore plerumque et ut communiter concurrentibus testimonium perhibeant, qui in tali stadio decertarunt. Satis arduus belli videtur esse congressus, ubi doctor plus quam aurum in fornace exercitacionis scolastice purgatus, probatus, tunsus, in cathedra residet magistrali; ubi adest auditorium, de quo quam plurimi, si fas sit dicere, antecedunt herilis cathedre ascensores et ubi cum bachallario respondente, qui ut communiter est etate provector, gradu sublimior, in studii exercitacione solertior, terribilis est conflictus.

In ista annali milicia rationes et doctrinam sanctissimi et eximii doctoris Thome de aquino, sicut me sui libri varii docuerunt, assumpsi pro presidio, me munivi sub vexillo, et ut lorica armatus et galea, fide securior, spe robustior, agonis stadium sine dedecore percurri.

Tandem transacto laboris certamine, post se mihi ocium et quietis solacium obtulerunt. Ubi tunc penes me laude dignum decreveram, ut que memorie de rationibus et doctrina dicti sancti et doctoris ingesseram stomacho rotundo digererem, et que mellito gutture proferenda susceperam, deliberacione matura pro posteris ruminarem; ut sic si altissimo placuisset, profecisset aliis in doctrinam, quod mihi ex sua speciali gracia est largitus. Sed humani generis inimicus, qui frequenter boni operis seminarium eradicat et bone intencionis lucernam semper conatur extinguere, obicem interposuit, effectum intencionis suspenderit, me a studio evocavit et ad claustrum traxit custodiam, ubi talis occupacio nullo communicante deficeret et languore continue accrescente tandem penitus exsufflaret. Turbatus ergo et inter angustias agitatus ex omni latere, semper pulsatus e dubio, nescivi quid potui, quid facerem ignoravi, et fraudatus desiderio quadam licite desperacionis specie infirmabar.

Verumptamen confidentie resumpta fortitudine ad oracionis instanciam me converti, expectaturus si mihi deus sue inspiracionis rorem ymbrificum infundere dignaretur. Nec post diu mihi hee historie occurrerunt, quomodo goliath prepotens ille gigas et arrogantissimus philisteus sex cubitorum et palmo excedens plurimos, cuius lorica hamata et cassis erea super caput eius, ocreas ereas habebat in cruribus, clipeus ereus suos humeros contegebat, hastile haste eius quasi liciatorium texencium. Agminibus israel exprobat et cum david modico iuvene et inermi duellum iniit singulare. Quem tamen david eius proprio gladio truncavit capite et occidit, et obprobrium ab israel auferebat. Invidus eciam ille aman, qui destructionem ac enervacionem populi israel est mollitus, et patibulum erexerat in quo interisset vir ille nobilis mardocheus; clementissimus ipse deus maliciam suam in suam capitis cervicem retorserat, quia suspensus in eodem patibulo exspiravit. Et quomodo, etsi quis sit in crimine pede lapsus et debitam adhibuerit diligenciam, ut resurgat et a patrato scelere toto conatu cum dei gracia resipiscat caucior, ne post peccet, eciam pro peccato reddetur humilior ac in gracia forcior reviviscet, secundum illud apostoli: *scimus quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti*; super quo textu dicit venerabilis

doctor de lyra: *eciam ipse casus; quod se scire apostolus attestatur, scribere et asserere non formido.*

Istis igitur historiis comfortatus, mee omissionis deflevi negligenciam, hostis antiqui agnovi maliciam et penes me disposui, ut, de quo se gloriari malignus spiritus intendebat, iusto dei iudicio et auxilio acrius torqueretur. Exorsus ergo quoddam opusculum ad laudem dei et honorem sancti thome de aquino doctoris eximii, qui meo iudicio post apostolos pene omnes doctores scolasticos in materia disputabili et sinceritate fidei et determinacioni romane ecclesie sacrosancte concordi conceptu tam novellos quam veteres antecellit. Et ideo non a me de conceptu proprio nomen novum imponitur, sed, ut tractum est, a prudentibus et antiquis doctor communis merito appellatur; quia sicut via trita communiter pre aliis est generaliter plus segura, secundum illud vulgare: *sepe viatorem nova, non vetus, orbita fallit*, ita conclusionibus, assercionibus istius doctoris plus quam aliorum pavore consciencie seu trepidacione quomodolibet est herendum.

Pro remissione obtinenda et venia peccatorum huic operi, hoc est cuidam tabule super libros sancti thome seu libros qui sancto thome communiter ascribuntur, per sexdecim annos in claustro completos et continuos insudavi; eciam tandem, laudetur altissimus, opus plenarie consummavi. Qui viderit, non irrideat; qui studuerit, si defectus se offerant, corrigat et emendet; ignoscat erranti, non despiciat laborantem; saltem bonum votum suscipiat exorantis.

Et ut querenti *occurrat* facilius quod intendit, libros sancti thome 60, super quos tabula ista currit, decrevi subscribere, secundum quod de eis in isto opusculo est processum.

[1] Primo ergo liber super primum sentenciarum, primus, 2us, 3us et 4us per distinctiones ordinate et articulos dividuntur.

[2] eciam prima pars summe, prima 2e, 2^a 2e, 3^a pars summe ordinate per

questiones et articulos annotantur.

[3] eciam liber de potentia, [4] liber de malo, [5] liber de veritate, ordinate per questiones et articulos describuntur.

[6] eciam liber contra gentiles per libros et articulos est quotatus.

[7] eciam compendium theologie in libros ordinate et capitula est divisus.

[8] eciam liber de ente et essentia in 4 partes distinguitur; 2^a pars incipit ita: *viso igitur quid significetur nomine essencie in substanciis compositis*; 3^a pars incipit ibi: *nunc restat videre quomodo et secundum quem modum essentia in substanciis separatis*; 4^a pars incipit ibi: *nunc restat videre qualiter sit essentia in accidentibus*.

[9] eciam liber de natura materie in tres partes dividitur; 2^a pars incipit ibi: *nunc ergo superest considerare modum constitutionis rei*; 3^a pars incipit ibi: *sciendum est quod materia est in potencia ad omnes formas que de ea educi possunt*.

[10] eciam liber de instanti in duas partes plenarie est distinctus; 2^a pars incipit ibi: *ad huius difficultatis solutionem considerandum est quod nunc non est accidens primi mobilis sed mensura*.

[11] eciam liber de principiis individuacionis in tres litteras a. b. c tantummodo est divisus; 2^a littera b incipit ibi: *nunc restat ostendere ubi separatur cognitio sensus et intellectus a se mutuo*; 3^a littera c incipit ibi: *sciendum est igitur quod individuum in duobus consistit*.

[12] eciam liber de genere in tres partes plenarie est distinctus; 2^a pars incipit ibi: *nunc superest ostendere quomodo genus implicite continet ea quae sunt in eo*; 3^a pars incipit ibi: *nunc vero de naturalieti mathematica restat agendum*.

[13] eciam liber de accidente complectitur tantummodo duas partes; 2^a pars

incipit ibi: *sciendum est igitur quod quantitas secundum rationem eius communem.*

[14] eiam liber de oppositionibus in duas partes completissime est divisus; 2^a pars incipit ibi: *nunc restat igitur agere de modis transmutationum que sequitur oppositiones predictas.*

[15] eiam liber de mensura et minimo per duas litteras a. b totaliter est distinctus; b littera incipit ibi: *de minimo in genere substancie nota: oportet quod cum substancia participetur et omnem mensuram mensuret et notificet.*

[16] liber de produccione formarum in 5 capitula est distinctus; 2m cap. incipit ibi: *circa secundum sciendum quod iam dictam sententiam aristotelis quidam intellexerunt*; 3m cap. incipit ibi: *visa qualiter duobus modis intelligantur verba aristotelis*; 4m cap. incipit ibi: *nunc restat solvere rationes prius positas quibus inituntur illi qui sunt illius opinionis*; 5m cap. incipit ibi: *expeditis 4 partibus restat nunc breviter concludere.*

[17] eiam liber de sex questionibus propositis in capitulo generali in 6 questiones plenarie est divisus.

[18] eiam de immortalitate anime per a. b litteras est completus; b littera incipit ibi: *restat igitur ut melius aliquid quam habeat vita ista electis suis et cultoribus deus providerit.*

[19] eiam liber de spiritualibus creaturis per questiones plenarie est divisus.

[20] eiam liber de anima in questiones distinguitur satis plane.

[21] eiam liber de virtutibus in questiones dividitur ordinate.

[22] eiam liber quolibetorum ordinate in quolibeta et articulos est divisus.

[23] eiam liber contra impugnatores religionis ordinate in 28 capitula

distinctus.

[24] eiam liber de perfectione spiritualis vite in 30 capitula est distinctus.

[25] eiam liber contra doctrinam retrahencium a religione ordinate in 16 capitula est distinctus.

[26] eiam liber de sortibus in 5 capitulis est conceptus; 2m cap. incipit ibi: *quia igitur in hiis sorte aliquid requiritur, que pertinent ad usum vite humane*; 3m cap. incipit ibi: *scire autem oportet quod multipliciter aliqui cognitionem exquirunt*; 4m cap. incipit ibi: *oportet autem considerare an sit efficax predicta inquisicio*; 5m cap. incipit ibi: *hiis igitur visis de facili patet, utrum sortibus liceat uti*.

[27] de unitate intellectus contra averoys in capitula est distinctus.

[28] eiam liber super primam decretalem in 2 capitula est divisus.

[29] eiam liber super secundam decretalem in uno capitulo est completus.

[30] eiam liber de articulis fidei et de sacramentis ecclesie per capitula est distinctus.

[31] eiam liber de angelis per capitula est divisus.

[32] eiam liber de principiis nature in a. b. c litteras est distinctus; b littera incipit ibi: *ex dictis patet tria esse materie principia: materiam formam et privacionem*; c littera incipit ibi: *et notandum quod duplex est necessitas, scilicet absoluta et necessitas condicionalis*.

[33] eiam liber de eternitate mundi tantum uno capitulo est completus.

[34] eiam liber de racionibus fidei per capitula est distinctus.

[35] eiam liber de forma absolucionis per capitula est distinctus.

[36] eciam liber de divinis nominibus in 62 capitula est divisus; 2m cap. incipit ibi: *has sequentes ierarchicas leges etc. Postquam dionisius ostendit modum huius doctrine.*

[37] eciam liber super librum de ebdomadibus boicii. Et hic adverte quod in isto opere iste liber intitulatur thomas de ebdomadibus, et iste liber in 5 capitula est divisus; 2m cap. incipit ibi: *diversum est esse et illud quod est. Supra boicius dixerat hoc ordine esse processurum; 3m cap. incipit ibi: questio vero huiusmodi est etc. Premissis quibusdam principiis que sunt necessaria ad proposita questionis discussionem; 4m cap. incipit ibi: huic questioni talis poterit etc. Premissa questione et ratione hinc inde deductis; 5m cap. incipit ibi: qua in re soluta est questio etc. Posquam determinavit veritatem premisse questionis.*

[38] eciam liber de trinitate boicii ordinate in capitula est divisus.

[39] eciam liber de rege et regno in duos libros ordinate et capitula est distinctus.

[40] eciam liber in responsione ad articulos sibi missos a fratre G. bysantino tantum unum habet capitulum.

[41] eciam liber de operibus occultis nature tantum unum habet capitulum.

[42] eciam liber de iudiciis astrorum tantum uno capitulo est completus.

[43] eciam liber de mixtione elementorum tantum unum habet capitulum.

[44] eciam liber de motu cordis tantum uno capitulo continetur.

[45] eciam liber contra errores grecorum ordinate per capitula titulatur.

[46] eciam liber in responsione ad articulos dubios motos rome per articulos est distinctus.

[47] eciam liber de Judeis ordinate per questiones dividitur.

[48] eciam liber in responsione ad articulos missos a magistro ordinis ordinate per articulos est distinctus.

[49] eciam liber de preceptis ordinate per capitula est distinctus.

[50] eciam liber de expositione ave maria in tria capitula tantummodo est divisus; 2m cap. incipit ibi: *ave maria gracia plena dominus tecum. Beatus jeronimus in quodam sermone dicit: ceteris per partes gracia prestatur, in maria autem tota se infudit gracia plenitudo*; 3m cap. incipit ibi: *benedictus fructus ventris tui. Peccator aliquando querit in aliquo quod non potest consequi.*

[51] eciam liber de expositione pater noster in 10 capitula est divisus; 2m cap. incipit ibi: *pater noster etc. Hic nota duo scilicet quomodo sit pater et quid debeamus ei quia pater noster est*; 3m cap. incipit ibi: *qui es in celis. Inter cetera que sunt necessaria oranti*; 4m cap. incipit ibi: *sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum. Spiritus sanctus facit nos recte amare*; 5m cap. incipit ibi: *fiat voluntas tua sicut in celo et in terra. Tercium donum quod efficit in nobis spiritus sanctus*; 6m cap. incipit ibi: *panem nostrum cotidianum etc. Multociens accidit quod aliquis ex magna sciencia et sapiencia efficitur pavidus*; 7m cap. incipit ibi: *et dimitte nobis debita nostra etc. Et inveniuntur aliqui magne sapiencie et fortitudinis*; 8m cap. incipit ibi: *et ne nos inducas in temptationem. Sunt aliqui qui peccaverunt tamen desiderant veniam*; 9m cap. incipit ibi: *sed libera nos a malo. Supra docuit nos dominus petere veniam peccatorum*; 10 cap. incipit ibi: *pater noster etc. Ut in summa exponatur sciendum est quod in oracione dominica.*

[52] eciam liber de expositione credo in 15 capitula est distinctus; 2m cap. incipit ibi: *credo in unum deum. Inter ea que debet credere christianus ...*

[53] Eciam thomas de potestate papali et regali qui in 23 capitula est divisus.

Et hic advertendum, quociens in hac tabula capitulum, questio seu articulus hinc et inde rationibus ventilatur et post in has litteras a. b. c remissive distinguitur: pars capituli, questionis seu articuli hinc et inde continens rationes per a primam litteram designatur; pars vero ad dictas rationes continens responsionem per c litteram terciam designatur; pars vero responsionis per b litteram mediam designatur.

Preterea est sciendum quod, quociens in hac tabula capitulum, pars vel articulus in aliquot litteras dividitur, dummodo hinc et inde nullis rationibus agitur, tunc cuilibet littere secundum ordinem quo insidet alphabeto, ut prime littere prima pars, 2e littere 2^a pars, 3e littere 3^a pars et 4e littere quarta pars equa porcione seu quasi dicti capituli partis seu articuli correspondet, nisi in isto prohemio exprimat, ubi tales littere vendicent sibi loca.

A

In quo differunt iste prepositiones a et per: Thomas super primum sententiarum distinctione 32^a. articulo 5to b.

Abbas

Numquid monachus potest facere elemosinam sine licencia abbatis. Et quod sic probat per 2^o media. Et oppositum per unicum medium. Et ad prima argumenta respondet Thomas super 4m sen. distinctione 15^a. articulo 10^o. a ad 4tam questionem et c in responsione ad 4tam questionem. Et quomodo potest facere elemosinam sine licencia abbatis. Et quomodo non: Thomas super 4m sen. distinctione 15^a. arti. 10^o. c in pede responsionis ad 4am questionem.

...



© 2006 Fundación Tomás de Aquino quoad hanc editionem
Iura omnia asservantur